



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illvstrivm Virorum Poemata**

**Cesarini, Virginio**

**Antverpiae, 1662**

Cleopatra in Hortis Vaticanis ad Christinam, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7990**

CLEOPATRA  
 IN HORTIS VATICANIS  
 A D  
 CHRISTINAM,  
 Suecorum, Gothorum, Vandalorum  
 Reginam.

**S** I te spectaclum infelix, si tristia tangunt  
 Fata mee duro benè sculptæ in marmore sortis,  
 O nostros dignata lares inuisere mundi  
 Cardine ab extremo, patriâ regnoq; relictis,  
 REGINA, heroum nulli virtute secunda,  
 Aurea quos olim tulit ætas, maxima Olympi  
 Numina cùm humanos non dedignantia cætus  
 Tecta frequentabant mortalia, castaq; gentis  
 Pectora non falsa complebant laudis amore;  
 Huc ades. Illa ego sum Latijs celeberrima fastis  
 Femina. Nosti angues, animumq; in morte ferocem.  
 Quò properas? Saltem alloquio solare dolentem  
 Reginam Regina; nec est indigna videri  
 Forma loci, & sacris regio gratissima Musis,  
 Quæ nemus hoc, fontesq; colunt, iugaq; alta, viretis



Cyrrha posthabitis, & verticibus Parnasi.  
 Hic ubi Gratorum artificum miranda videbis  
 Signa antiqua, tue gentis quibus ira pepercit,  
 Abstinitq; manus artem mirata vetustas.  
 Ut de me sileam, vident hos, qui robore multo  
 Luctantem, ingratosq; Deos, arasq; vocantem  
 Arrecti miserum spiris ingentibus hydri  
 Laocoonta ligant? Ut anhelat! ut ore supremum  
 Ingemit! ut socios implorat, opemq; propinqui  
 Herculis! Ipse quidem casum dolet, & cupit angues  
 Elisisse manu, ac primos iterare labores  
 Phidiacus labor Alcides; sed enim aspera Iuno  
 Heroa immeritum dum grandine pulsat & imbri,  
 Non tantum orbavit clauam, exuuijsq; leonis,  
 Verum & poplitibus nervos, humerisq; torosa  
 Brachia diuellit, fecitq; ex Hercule monstrum  
 Informe, ignaræq; (nefas!) ludibria turba.  
 Ast illum informem licet, & sine nomine truncum  
 Miratum huc Ararim veniunt, Rhenumq; bibentes,  
 Et viuos illinc discunt effingere vultus.  
 Cetera quid memorem? Nilum, Tybrimq; parentem  
 Spirantes docto in silice, Eridanumq; Tagumq;  
 Natio fulgentem auro, Gangemq; superbum  
 Eois opibus, quos omnes dadala, & ipsi

Amu.

A  
 Amu  
 Aur  
 Hic g  
 Pocul  
 Merc  
 Et ma  
 Omnes  
 Quam  
 Huc e  
 Aud  
 Nobil  
 Ferre p  
 Dulcia  
 Vidi eg  
 Incessu  
 Aut  
 Olim q  
 Qui v  
 Irata s  
 Quam  
 Crude  
 Quò p  
 Namq  
 Qui su



AVGVSTINI FAVORITI. 75

*Emula Naturæ finxit manus? Hic habitant Dij.*  
*Aurato hic Phæbus percurrit pectine chordas:*  
*Hic gelidam fundit proles Semeleia lympham,*  
*Pocula, deliciasq; tuas: hic otia degunt*  
*Mercuriusq;, minaxq; rubenti castide Mauors,*  
*Et magni Aeneæ genitrix, & candida Phæbe,*  
*Omnes aut Diui, aut Diuûm genus: unaq; deerat,*  
*Quam studijs, vultuq; refers, factisq;, Minerva.*  
*Huc & ALEXANDER (Fabium tunc nomine dici*  
*Audieram) indocti fugeret cum murmura vulgi,*  
*Nobiliumq; manus iuuenum comitata solebant*  
*Ferre pedem, hic tristes animo deponere curas,*  
*Dulcia securæ ducentes gaudia mentis.*  
*Vidi ego, & in cubitum surrexi oblita doloris,*  
*Incessumq; viri obseruans & lumina, dixi:*  
*Aut Babylon ignara futuri; aut hic erit, hic vir,*  
*Olim qui Latiam regnando restituat rem,*  
*Qui veteres artes, & secula prisca reducat,*  
*Irataq; pio componat fœdere gentes,*  
*Quamquam animi flecti indociles, & vulnera tactu*  
*Crudescent, medicamq; manum impacata recusent.*  
*Quò properas? ne, Diua, oculis te subtrahere nostris:*  
*Namque ego te rerum seriem, euentusq; docebo,*  
*Qui super heroum sedes, super aethera tollent*

Nomen

Emu-



*Nomen ALEXANDRI, sub mortem plurima quando,  
Et longè faciem venientis cernimus æui.*

*An te proxima silua trahit, studiumq; ferarum?  
Non ibi toruus aper, non duris unguibus ursi,  
Quos iaculo cecidisse tuo sæpè horruit Arctos  
Vtraque; sed cerui imbelles, capreaq; fugaces,  
Pictarumq; cohors non inuadenda volucrum.  
Quin etiam casus, & mors ingloria ab altis  
Imminet arboribus: nam que nux pinea curuo  
Strata iacet campo, Satyros quam ludere circum,  
Metiriq; vides thyrso, suâ ab arbore nuper  
Decidit, & magno tellurem perculit ictu.  
Adde, quòd inclusus Boreas, Eurusq;, Notusq;, &  
Et quotquot sæuis agitant plangoribus æquor,  
Illâ turre fremunt euersuri omnia latè:  
Quamuis sub tanto cohiberi Principe venti  
Non indignentur, veniantq; ad iussa volentes,  
Iamq; parent iterum Scythicas illidere puppes  
Leucata. Ah diram Leucatam & conscia luctus  
Saxa mei! heu dolor, heu cladis monumenta nefanda!*

I M.